

quenti instanti, v. g. qui se vulnerando occidit. 3.º His positis tota hujus quaestionis difficultas reducitur ad hoc, an donatio vel venditio sit formalis destructio domini in donatore vel venditore: an vero sit tantum causalis pro sequenti instanti. Utraque sententia est probabilis; stant pro nostra Lugo, qui primus hanc quaestionem suscitavit Hurtadus de Mendoza, Rhodes, Platellus, Arriaga, etc. Sunt contrarii Scotistae et Thomistae et ex nostris Ripalda (1), Esparza, Maurus, Gormaz, Viva, Strugll., etc. Hi auctores duplex distinguunt dominium, unum formale prout a nobis definitum est, et *in re* habetur; aliud radicale vel virtuale, quod idem faciunt cum *potestati donandi vel retinendi*. Non conveniunt penes quem sit in instanti donationis, dominium formale, nam dum aliqui scotistarum tribuunt donatori, alii communiter donatario cedunt.

44. Prob. Cum P. Platelli (2): 1.º In instanti donationis dominium esse in donatario, fatentur etiam communiter adversarii et merito: a) Quia eo instanti est donatio et acceptatio ex quibus dominium resultat in posteriori rationis. Sed in eodem instanti reali necessario dominium resultat in donatario, sicut paternitas necessario resultat eodem instanti reali, quo posita sunt omnia ad illam requisita, licet in posteriori rationis. Ergo. b) Quia potest donatarius eo instanti de re tamquam sua disponere absque ullius injuria.

2.º Quod autem eodem instanti etiam sit dominium in donatore declaratur: a) Quia eo instanti rem donat: ergo habet ejus dominium, alioqui enim non posset eam donare; cum nemo det quod non habet. b) Quia eo instanti habet potestatem disponendi de re ut sua, cum absque ullius injuria libere possit rem alienare et non alienare, de facto enim libere alienat, quod necessario supponit potentiam non alienandi, sicut libere operari potentiam non operandi.

3.º Confirmatur totum exemplis P. Hurtado: a) Si in primo instanti creationis Angeli, Deus diceret Angelo «dono tibi» talem rem, ut vel retineas vel alteri des.» potest in eodem instanti Angelus dicere: «ego dono illam Petro;» ergo tunc in eo instanti Angelus habet dominium. Patet *conseq.* quia donat dominium: ergo illud habuit, non antea, quia non extiterat, ergo tunc quando traditur. b) Secundo si diceret mihi Deus «dono tibi pallium usque ad instans A» inclusive praecise; non possem in instanti B immediate sequenti illud alteri donare; et tamen fueram dominus immediate ante: ergo non sufficit dominium praecedens ad hoc, ut possim donare, sed requiritur in eodem instanti in quo dono. c) Quia cum Angeli in instanti inter se colloqui possint

(1) De ente supern. D. 83.—(2) De just. et jur. n. 522.

Michael v. g. Gabrieli dicere potest «dono tibi hanc rem» eodem autem instanti Gabriel posset etiam dicere, «dono eam Raphaeli» et hic posset etiam in eodem instanti alteri donare. At tunc Angelus Gabriel non fuerat dominus rei illius in instanti antecedenti; ergo in eodem in quo donat rem illam Raphaeli, quandoquidem nemo potest donare rem cujus vel non fuit vel non est dominus, ut ex terminis patet. Ergo in eodem instanti in quo quis donat rem est dominus illius (1).

45. Obj. 1.º contra definitionem domini: Ideo Petrus habet jus, quia est dominus: ergo dominium praesupponitur ad jus, et non constituit illud.

Resp. Neg. *conseq.* Particula ideo saepe non significat causalitatem, sed tantum dependentiam a priori vel connexionem. Sic quin dies sit causa solis dicitur: ideo sol adest, quia dies est cum potius sol sit causa diei.

Obj. 2.º Verba illa «Nisi legitime prohibeatur» sunt superflua. Ergo... Prob. *antec.* Lex prohibet alteri vel dispositionem de re, quia non habet jus: et talis non habet dominium: vel prohibet ex alia ratione: et tantum ligat jus quoad actum secundum, non quoad actum primum; unde illa verba se habent ac si quis diceret «Pedes sunt potentia ambulandi, nisi vinculis ligentur.» Ergo...

Resp. Neg. *antec.* vel dist. quatenus superfluum opponatur utili et necessario aliquo pacto; neg. Essentiali necessitati; trans. Ex dictis not. II satis constat, illa verba non esse inutilia.—Ad prob. conc. primum *consequens*; secundum declaro; et hinc sequitur verba illa «nisi legitime,» etc., esse superflua; neg. Non esse essentialia. trans. Paritatem de potentia ambulandi, neg. ab omnibus aperte subintelligitur appositam conditionem esse omnino superfluum; verba vero «nisi legitime, etc.» inservire saltem ad majorem claritatem et ad declarandam conditionem domini creati, quod necessario subjicitur legibus tum divinis, cum humanis.

Obj. 3.º Pupillus habet plenum dominium; et tamen non potest perfecte disponere de rebus suis; quia acta ejus sine auctoritate tutoris sunt nulla: Ergo...

Resp. Dist. *antec.* Pupillus non potest disponere in actu primo: neg. In actu secundo subdist. non potest ex defectu juris; neg. Obligamen legis; conc.

Obj. 4.º Qui possidet majoratum vel fideicommissum habet plenum dominium ejus, et tamen non potest perfecte de eo disponere; nec enim potest ea alienare. Ergo plenum dominium non est jus perfecte disponendi de re.

(1) Ex Arriaga. Vol. 1, D. 30, n. 7.

Resp. Cardinalis de Lugo, cum aliis multis juristis censet non dari plenum dominium in fideicommisso sed tantum usumfructum. In oppositum abeunt Molina (1) et alii, qui dicunt dominium solum esse ligatum; et haec sententia videtur probabilior, cum plenum dominium ligatum non repugnet, ut patet in pupillo. Habet igitur dominus majoratus vel fideicommissi perfectum dominium, sed ligatum a lege.

Obj. 5.^o Qui alteri equum vendidit, at nedum tradidit habet adhuc plenum dominium equi: et tamen non potest perfecte de eo disponere; quia non potest sine injuria emptoris, eum alteri vendere. Ergo...

Resp. Conc. primam partem *antec.* dist. secundam; non potest perfecte disponere ex defectu juris; neg. Ob vinculum legis vel contractus, conc. Talis venditor potest quidem valide adhuc equum vendere alteri, sed tamen venditione secunda contrahit obligationem ex lege vel pacto compensandi primo emptori damnum, quod ei infertur ob non traditum equum.

Obj. 6.^o Deus habet plenissimum dominium in omnes res. Sed non potest de iis perfecte disponere. Ergo... *Min.* prob. Deus non potest res donatione, vel alia ratione a se alienare. Ergo non potest perfectissime de iis disponere.

Resp. Neg. *min.* Ad probationem, noto posse Deum creaturas totaliter destruere, quod dominus creatus etiam perfectissimus non potest; dist. ultimum *consequens*: Deus non potest perfecte disponere de iis, prout requiritur ad dominium indigentiae; conc. prout requiritur ad dominium excellentiae, neg. Creaturis enim indigentibus, utilitate ex alienationibus acquiribili, bonum est posse res a se alienare: non item Deo infinite excellenti super omnes creaturas, et incapaci utilitatis etiam extrinsecae ex alienatione recipiendae.

Obj. 7.^o Potest alteri concedi jus perfecte disponendi de re, quin tribuatur dominium. Ergo... Prob. *antec.* Si quis sibi retineat facultatem jus illud revocandi quamdiu res non fuerit destructa, datur jus perfecte disponendi et non datur dominium. Ergo.

Resp. Neg. *antec.* Ad prob. nego primam partem *antec.* nempe quod detur perfectum jus, cum hoc ipso, quod retineatur facultas revocandi qualemcumque datam potestatem, non tribuatur alteri jus, sed tantum usus facti.

Obj. 8.^o Quilibet homo habet potestatem perfecte disponendi de quacumque re, nisi legitime prohibeatur: Ergo quilibet juxta datam definitionem, haberet plenum dominium in quacumque rem, quod est omnino falsum. Ergo.

(1) De just. et jur. tract. 2, D. 3.

Resp. Dist. *antec.* Nisi legitime prohibeatur a lege ligante jus, supposita lege constituyente jus; conc. Si cum hac datur lex ligans; subdist. Habet potestatem expeditam; neg. impeditam; conc. Triplex datur lex nempe constituens jus, ligans jus, pure prohibens hominibus aliis usum rei vel dispositionem de illa invito domino, et haec non est ad rem, neque est sermo de illa in data definitione, sed de lege ligante jus.

Obj. 9.^o contra thesim: a) In instanti quo quis rem destruit, illa utitur, et non est dominus ejus, utpote rei non existentis. Ergo a pari, qui rem alteri donat, quamvis dominium non habeat tunc, poterit tamen dare. b) Qui dominio cedit, exercet actum domini, et non est dominus. Ergo ex eo quod quis donando exerceat dominium, non licet arguere eum habere dominium. *Antec.* quoad primam partem patet, quoad secundam prob. Quia in cessione domini perit dominium.

Resp. ad a) 1.^o Esse implicationem uti re non existente, unde neg. suppositum, quod in destructione rei detur usus rei non existentis. 2.^o Neg. non esse dominium, quia licet simul cum destructione, quae est quidam usus rei, non possit res ipsa existere, tamen eo instanti potui illam retinere vel destruere, ideoque sum moraliter dominus illius, quia ad dominium morale non requiritur existentia physica rei.

Ad b) Dist. *antec.* Quoad primam partem; exercet actum domini quoad acceptationem vel recusationem domini; Conc. Respectu ipsius rei circa quam est dominium; neg. Et concessa secunda parte neg. *conseq.* seu paritatem. Ratio est, quia cessio domini est non acceptatio illius, ut patet clare si quis in primo instanti, antequam acceptet dominium ei cedit et etiam in subsequentibus instantibus post acceptationem; nam in iis cessio est non acceptatio continuationis domini habiti. Ad acceptationem autem non requiritur, quod res sit, sed solum quod potuerit esse si voluissem. Contrarium evenit in donatione in qua res, quam do positive debet esse mea.

Obj. 10.^a Donans non vult retinere dominium et quidem voluntate efficaci, ac practica: Ergo id non amplius habet. Confir. ex inconvenienti. Si duo haberent dominium plenum in eadem rem, et tertius eam furaretur deberet utrique totam restituere, adeoque duplum. Sed hoc est falsum. Ergo.

Resp. Dist. *antec.* Non vult retinere pro sequenti instanti; conc. Pro eo instanti, quo utitur dominio; neg. Ad confir. Dico furtum et restitutionem non posse fieri in eodem instanti: et sequenti instanti jam non essent duo domini; insuper neg. *Maj.* Fur tantum deberet restituere ambobus, sicut si essent domini imperfecti, nam sic jam constitueret eos in pristinum statum.

Obj. 11.º Ex nostra sententia sequeretur, quod in primo instanti manumissionis idem homo esset simul servus et liber; esset enim servus; quia adhuc esset domini: esset liber, quia acceptasset libertatem. Sed haec sunt contradictoria. Ergo... Confir. Sequeretur etiam, quod in instanti contractus matrimonialis vir, v. g. per desiderium inhonestum alienae mulieris non committeret adulterium, quia adhuc esset dominus sui corporis: et similiter professus in primo professionis instanti posset uxorem ducere, quia adhuc esset liber. Sed haec sunt falsa. Ergo...

Resp. Dist. *Conseq.* Esset simul servus et liber *positive* i. e. quatenus liber importat *esse sui juris*, et servus *esse alterius*; *conc. Negative* i. e. quatenus liber importat *non esse alterius*, et servus *non esse suum*; *neg.* Ad confir. *neg. conseq.* Ad rationem dist. Est dominus sui corporis ad desiderandam alienam in sensu composito contractus matrimonialis; *neg.* in sensu diviso; *conc.* Hoc est habet libertatem ad omittendum contractum matrimonii, et hoc omisso non contrahendi speciem adulterii: sed non habet libertatem non contrahendi speciem adulterii in sensu composito contractus. Similiter responde ad ea quae adduntur de professione.

Obj. 12.º Si potest dari dominium duorum in solidum, potest dari bellum ex utraque parte materialiter justum, nam donans posset retinere rem tamquam adhuc dominus: et acceptans posset eam sibi vindicare, tamquam etiam dominus: sed bellum ex utraque parte materialiter justum dari non potest. Ergo.

Resp. Dist. *Maj.* Si potest dari dominium duorum in solidum permanentem; *conc.* Si tantum in instanti; *neg.* Et concessa *minore*: *neg. conseq.* non enim potest quis in eodem instanti, habere voluntates contrarias scilicet donandi jus et retinendi jus: ergo donans non posset velle retinere jus; et quidem in sensu composito donationis validae nec supernaturaliter; Deus enim esset causa peccati, nempe injustae retentionis juris.

Obj. 13.º Si quis actu serio rem aliquam donaret, et tamen simul violenter retineret, faceret injuriam donatario. Ergo donans non habet amplius jus; alias posset sine injuria alterius rem retinere.

Resp. Cum *Lugone* (1). Concedo *antec. neg. conseq.*: Ad rationem seu explicationem dico: posset sine injuria rem retinere in sensu diviso donationis; *conc.* In sensu composito donationis; *neg.* Ratio est quia donatio est usus domini pleni. quo dominium plenum. libere i. e. cum actuali potestate rem retinendi et revocandi donationem, in alium transfertur; quare dominium hoc non exigit, ut quis sine injuria possit elicere actus diversos et contrarios: sicut non exigit libertas, ut quis possit simul sedere et stare. Nam, ut acute notat noster *Arriaga* (2), ad simul dandam, et rem repe-

(1) De Just. et Jur. D. 11, n. 25.—(2) In I. D. Thom. D. 30, n. 31.

tendam sine injuria donatarii, non solum in eo instanti quo dono, sed nec in antecedenti, nec in ullo prorsus est potentia.

Obj. 14.º Si potest dominium plenum esse penes duos in uno instanti potest absolute in pluribus instantibus: sed hoc est falsum. Ergo... *Prob. Maj.* Quod non repugnat potest a Deo supernaturaliter conservari. Sed quod potest esse in uno instanti non repugnat; quia contradictoria nec in uno instanti possunt simul dari: Ergo... *Confir.* Si potest dominium plenum in eodem instante esse penes duos poterit etiam esse penes plures, imo penes innumeros et quasi infinitos, licet non in eodem signo naturae tamen semper in posterioribus signis: e. g. si essent Angeli innumeri et in eodem instanti semper unus pro posteriori signo ab alio acciperet ac rursus alteri donaret: sed hoc est absurdum. Ergo.

Resp. *Neg. Maj.* et retorqueo: Si dominium virtuale vel fundamentale, aut radicale potest esse penes donantem in primo instanti, poterit etiam esse in secundo instanti; quod ipsi adversarii negant, Ad *prob. dist. Maj.* Quod non repugnat potest conservari, si omnia requisita maneant; *conc.* Aliter; *neg.* concedo *min.* et sub data distinctione nego vel concedo *consequens*. Certe *ubi Pauli* existens in instanti A in quo existit Paulus, non potest conservari nec supernaturaliter in instanti B destructo Paulo. Ad confir. 1.º retorqueo argumentum in dominio virtuali vel radicali; deinde *dist. Maj.* Poterit dominium plenum dari in eodem instanti penes plures, si in eodem instanti possunt omnes acceptare et simul donare; *conc.* Aliter; *neg.* Et distincta sic *minore neg. conseq.* Sic, dicit *Platelli* (1), posset hoc ejusdem rei dominium esse in duobus etiam per longum tempus, nempe virtute plurimarum donationum et redonationum immediate succedentium (2).

THESIS V.

Usus juris late sumpti in rebus unico usu consumptibilibus potest de facto separari a dominio.

46. *Nota.* I. Hac thesi aliam versamus quaestionem, quae non parum declarat naturam juris domini, dum simul statuit, quomodo viri religiosi possint habere usum rerum quarumlibet sine dominio. Pro recta ejus intelligentia advertit: a) Usumfructum communiter definiri: *Jus alienis rebus utendi, fruendi salva earum substantia.* Jus i. e. facultas firma et stabilis generice conveniens cum aliis dominiis proprietatis; *Utendi*, ut secernatur a pignore et deposito, quibus uti non possunt pignoratarius et depositarius; *Fruendi*, ut significetur differentia a mero jure utendi, quod non

(1) De just. et jur. n. 523.—(2) V. *Lugone* D. 2, sect. 2.

se extendit ad fructus percipiendos, attamen usufructuarius non acquirit dominium fructuum usque dum hi sint collecti, et separati a re frugifera; *Rebus alienis*, quia ex rebus propriis fructus, ipso proprietatis jure, acquiruntur; *Salva earum substantia*; nam usufructuario conceditur jus in fructus, non in ipsam rem, quare tenetur praestare cautionem rei servandae si a domino petatur. b) Usus definiunt theologi et juristae: *Jus utendi dumtaxat rebus alienis salva earum substantia*; verba sunt nota ex proxime dictis, praeter *utendi dumtaxat*, quibus ab usufructu, usus distinguitur, nam cui competit solus usus rei habentis usum a fructu distinctum potest eam uti, non tamen ejus fructum percipere; v. g. qui habet usum equae potest eam uti ad equitandum, ducendum currum, etc., non potest tamen ejus pullum, aut elocationis pretium sibi comparare. Quod si res non habet usum a fructu distinctum, quia ipso usu consumitur, tunc proprie non datur merus usus rei, nisi hic latiori sensu accipiatur pro «jure utendi re aliena:» c) *Usus juris* est legitima potestas utendi re aliqua; *usus facti* est ipse actus utendi praecise. Usus juris stricte et proprie est jus absolutum, firmum ac independens etiam a voluntate concedentis, eo quod concesserit irrevocabiliter: usus vero juris late et improprie est jus utendi adeo infirmum ac debile, ut perpetuo pendeat a libera voluntate concedentis, sic ut quolibet momento absque injuria possit revocari et impediri ipse utendi actus: hic usus est velut medius inter usum juris stricte et merum usum facti.

II. Res, quibus utimur duplicis sunt generis; aliae enim non consumuntur unico usu, ut domus, vestis, etc., aliae vero consumuntur unico usu, ut vinum bibendo, panem manducando, etc.... Ad posterioris generis res etiam pertinet pecunia, quae licet non consumatur physice et quoad entitatem unico usu, consumitur tamen moraliter et quoad dominium. Quod usus rerum usu non consumptibilium sit separabilis a dominio, facile ab omnibus conceditur; sive jus utendi sit revocabile, sive irrevocabile. Quoad res unico usu consumptibiles, si jus utendi est proprium seu irrevocabile, tunc jus utendi non differt a dominio, cum sit liber usus rei a quolibet independens. His positis magna est controversia, utrum etiam cum jus utendi est revocabile in rebus unico usu consumptibilibus possit usus distingui et separari a dominio? Affirmant Franciscani omnes, qui nec dominium in commune habere volunt, sed solum rerum usum, dominium penes Pontificem aut donatorem remanente. Franciscanis suffragantur Soto, Ledesma, Bannes, Molina, Sanchez, Lugo, Valentia, Suarez (1). Negant tamen cum Joanne XXII, Sylvester,

(1) De stat. religion. L. 8, c. 8, n. 26; De myst. v. Christi, D. 28, 1, 2, nn. 12-14.

Turrecremata, Aragonius, et alii non pauci. Prioribus assentimur.

47. Prob. 1.^o Ex constitutione Nicolai III (1) in qua ait, fratres minores nihil posse acquirere sibi nec religioni, et dominium rerum donatarum manere apud donantes, vel transferri in Pontificem: «nam cum in rebus temporalibus sit considerare praecipuum proprietatem, possessionem, usumfructum, jus utendi et simplicem facti usum, et ultimo tamquam necessario egeat, licet primis carere possit vita mortalium: nulla prorsus potest esse professio, quae a se usum necessariae sustentationis excludat: verum condecens fuit ei professioni quae sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium et rerum sibi concessarum, necessario usu fore contentam.» Similia decrevit Clemens V (2): «Proinde cum vir sanctus (Franciscus), paupertatis praemissae in regula modum exprimens, dixerit in eadem: Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum nec aliquam rem: sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro elemosyna confidenter: Sicque declaratum extitit per nonnullos praedecessores nostros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in speciali, quam etiam in communi, propter quod et rerum omnium concessarum, oblatarum, et donatarum fratribus (quas et quarum usum, facti scilicet ordini vel ipsis fratribus licet habere) proprietatem et dominium in se et Romanam Ecclesiam receperunt, dimisso ipsis fratribus in eis tantummodo usu facti simplicis:» Idem antea statuerant Innocentius IV Alexander IV et Gregorius IX.

2.^o Ratione a) Non repugnat aliquem accipere potestatem utendi re unico usu consumptibili assidue revocabilem pro arbitrio concedentis. Sed tunc respectu rei unico usu consumptibilis usus juris late separaretur a dominio. Ergo... *Min. prob.* In casu, usus esset apud accipientem, dominium apud dantem. Ergo dominium ab usu distingueretur. Prob. *antec.* Apud illum est dominium, qui de re pro libitu ad omnem usum disponere potest. Sed ita dans, non vero utens. Ergo... b) Singuli Religiosi cujusvis ordinis habent usum panis, quem comedunt, non vero ejus dominium: illud enim habet sola communitas. Similiter convivae filii-familias, et famuli respectu ciborum ipsis appositorum. Ergo... (Vid. Trident. ses. 25, c. 3, de *Regular.*)

48. Obj. 1.^o Joannes XXII contrarium docuit. Ergo... *Antec.*

(1) C. *Exiit qui seminat*. De verborum significatione in 6.—(2) C. *Exivi*. Clementin. I. De verborum significatione.

prob. ex Extravaganti *Ad conditorem canonum* et ex sequenti *Quia quorundam* ubi negat thesim nostram, et prohibet impugnare ea, quae in prima sunt: *definita, ordinata seu facta*.

Resp. Dist. *antec.* ut doctor privatus; conc. Definiens; neg. Ad prob. dico: in ipsa extravag. *Quia quorundam* vult non habendum esse ut haeticum, qui contrarium censuerit: ergo quae pertinent ad hanc controversiam debent haberi inter illa quae non sunt ordinata, vel facta: Insuper cum in hac parte non sit definitiva constitutio Nicolai III, Pontifices differunt non in materia fidei, sed in quaestione problematica utrinque probabili. Tria puncta a Nicolao III et a Joanne XXII circa praesentem difficultatem fuisse tractata. 1.º An usus licitus sit separabilis a dominio etiam in rebus fungibilibus? 2.º An paupertas FF. Minorum a se removentium omne dominium, solo usu contenta sit meritoria et sancta? 3.º An Christus D. verbo et exemplo docuerit paupertatem FF. Minorum? In primo et secundo loquuti sunt Nicolaus et Joannes ut doctores privati; in tertio forte loquuti sunt definitive, sed cum propositiones utriusque sint particulares et subcontrariae tantum, possunt esse ambae verae; Nicolaus enim definivit. Christum aliquando nullum habuisse dominium juxta Matth. VIII, 20. *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Joannes vero definivit Christum aliquando habuisse dominium juxta illud S. Joannis XII, 6. *Fur erat, (Judas) loculos habens, ea quae mittebantur portabat.*—Alii, ut Scotus et Ledesma, volunt Joannem XXII lacessitum ab Ochamo et aliis FF. Minoribus non processisse legitime; alii denique apud Platelli, censent Joannem loquutum esse de usu juris stricte tantum, seu de jure irrevocabili ad usum, qui certe in rebus consumptibilibus est inseparabilis a dominio.

Obj. 2.º S. Thomas (1) dicit in his rebus fungibilibus non esse separabilem usum a dominio. Ergo...

Resp. neg. *antec.* Solum asserit in mutuo non posse computari seorsim rei usum et dominium, cum in mutuo jus ad usum sit irrevocabile, ut videbimus.

Obj. 3.º Dominium est jus in re ad omnem ejus usum. Sed tale jus habent Minoritae in rebus fungibilibus. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Jus absolutum et ab alio independens; conc. Debile et ab alio semper revocabile; neg. Et contradistincta *min.*, etc.

Obj. 4.º Si usus in hujusmodi rebus distingueretur a dominio. Religiosus sine licentia praelati, posset has res consumere sine violatione voti paupertatis. Sed hoc est falsum. Ergo... *Conseq.*

(1) 2, 2, Q. 78; a. 1.

Maj. prob. Paupertati tantum repugnat dominium non usus, ut manifestum est in eo religioso, qui gemmam alienam projiceret consentiente domino. Ergo...

Resp. Neg. sequelam *Maj.* Ad ejus prob. Nego paupertati tantum opponi dominium, opponitur etiam usus non licitus facti, ratio est quia tale votum obligat ad vivendam vitam pauperum, cui aequè opponitur usus facti domino non annuente. Ad exemplum quod additur, nego paritatem, ille enim religiosus ageret nomine alieno; sed in consumendo v. g. pane etiam consentiente domino, at sine venia praelati ageret nomine proprio, nisi esset saltem licentia interpretativa (1).

Obj. 5.º Pontifex conferens sacerdoti, facultatem revocabilem ad absolvendum, excommunicandum, etc., vere confert jus jurisdictionis: Ergo a pari, quamvis revocabile, verum dominium in his rebus de quibus agimus confertur.

Resp. Neg. *conseq.* seu paritatem, nam jus jurisdictionis habet pro objecto seu termino *jus dicere* sive revocabiliter sive irrevocabiliter, hinc non aliter potest dari facultas *ad absolvendum* quam dando *jus*. E contra dominium habet pro objecto omnem rei usum juxta voluntatem domini, unde cum hic possit concedere alteri tantum usum juxta propriam voluntatem hinc fit, acceptantem consumere quidem rem, sed ut ex voluntate aliena, non ut ex sua.

Obj. 6.º Si vera est nostra sententia licitae erunt usurae. Sed consequens admitti nequit. Ergo... *Maj.* prob. Nam poterit quis primo vendere jus revocabile expendendae pecuniae, bibendi vini, etc. et deinde ipsum pecuniae, vini, etc., dominium pro justo valore. Ergo poterit vi solius mutui aliquid ultra sortem licite accipere; sed accipere aliquid ultra sortem vi solius mutui est usura. Ergo...

Resp. Neg. *Maj.* Ad prob. Neg. jus ad nutum revocabile esse aliquid a domino seu possessore rei vere vendibile; nam in re fungibili, de qua agimus, qui emeret alteri daret jus irrevocabile ad pretium et consequenter maneret constrictum ad non utendum pretio invito domino vendente; e contra vendens jus ad nutum et jugiter revocabile ad nihil obligaretur, contra naturam venditionis, quae est contractus utrimque onerosus. Dixi a domino seu possessore rei, quia usus facti vel juris late sumpti ab eo, qui tantum hoc jus habet, vere alteri potest vendi cum se obliget irrevocabiliter ad non repetendum illud jus.

(1) An usus tantum passivus, et usus nomine alterius opponantur paupertatis voto cons. Lugonem. D. 2, nn. 51.